

Programmata Magnifici Dn. Rectoris Et Reverendi Concilii In Academia Rostochiensi De Negotio Castriciano

Rostochii: Pedanus, 1611

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742472183>

Druck Freier  Zugang





J. 542.

~~M. 1153~~²

1459 37

Programmata
MAGNIFICI
DN. RECTORIS
ET REVERENDI CON-
CILIJ IN ACADEMIA
ROSTOCHIENSI.

De
Negotio Castriciano.



ROSTOCHII
Typis Exscripsit Joachimus Pedanus

ANNO

M. DC. XI.

RECTORE ET
CONCILIUM ACADE-
MIÆ ROSTOCHIENSIS.



*V*ariè omnibus mundi sacu-
lis sapientes Ethnicos ac
Philosophos turbavit, quod
idem eventus iisdem cau-
sis, factis & facinoribus in
mundo inter homines non
semper respondeat: quod
alium etiam in atrocioribus delictis severior
iustitia Nemesis transeat; alium verò etiam
in levioribusprehendat premat & argeat,
& quod Poëta ait,

Ille crucem sceleris pretium ferat, hic Diadema;
quod alius per scelera se in extremas coram
mundo calamitates precipites, alius verò per
eadem ad splendoris honoris ac dignitatis fa-
stiga conscendat; quod alteri ob furtum levi-
us catena ad collum ferreâ, qua in ligno sub-
limis ac maledictus pendeat: alteri verò ob
gravius catena ad collum aurea appendatur,
quo honoratus coram mundo fulgeat; Deniq;
quod

quod alij qui totas Resp. Ecclesias, scholas
perdunt, qui malis artibus, dolis, fraudibus
ac rapinis totas regiones provincias & urbes
expilant; in summis honoribus vasti intume-
scant, & se jaectent, cum quibus vulgaris ali-
quis fur aut latro exactiore justitia examine
collatus vix furunculi aut latrunculi nomen
jure obtinuerit. Accedit quod hujusmodi ma-
jores fures (id quod Cato, justitia illud Ro-
manum sacrarium, apud Gellium quodam in
loco significare visus est) judices saepe fiant
minorum, inq; alios mortis sententiam ferant
illi, quibus ipsis, si pro furti magnitudine edi-
tius exstruendum esset patibulum, vel Pyra-
midibus altiores cruces erigenda essent, & qui-
bus integra sylva erigendis forte non suffece-
rint. Sed nos Christiani verbo Dei rectius
edocti novimus aliud judicium in mundo ul-
timum restare, in quo justa demum justitia ex-
ercebitur, & unicuiq; pro meritis suis, quod
justum erit, rependetur, per illum, qui qua nos
gerimus auditq; & videt, & qui bene meren-
ti bene profuerit, malè verò merenti par erit.
Hujus rei consideratio non frustra hoc tem-

corpore pro dolor, instituitur, quo aliquod iustitia exemplum in quenquam statuetur, & quale intra ducentos propemodum annos, ex quo Academia hac prima sua vidit incunabula, in hac urbe fando auditum aut spectando visum non fuit. Nimirum quo membrum aliquod putre & emortuum ab integro Academia corpore est resecandum. Et miserrima sanè atq; atrocissima illa huius hominis coram mundo calamitas & infelicitas, qui vitam hisce vita sua postremis annis inhonestè actà, enormibus facinoribus ac furtis premeruerit violento ac infami mortis genere è medio tolli, & publicum omnibus spectaculum exhiberi. Longè autem illa calamitas in se & coram DEO fuisset calamitosior, si in hac vitam iudicis sui urnam effugisset, & impunè evasisset, Quod ipsum ne quidem Ethnicis sanioribus fuit ignotum. Memorabilis enim est de hac re Platonis sententia, qui longè melius cum illis agi existimat, cuius peccata in hac vitam & retegantur & puniantur, quam cum illo qui in occulto peccet, & impunè abeat, cumq; sibi sceleratè vivat, alijs tamen

vir

vir bonus & quantivis pretij appareat, his
malus, & miser. Nam supplicia (addit ille)
pro sceleribus à Deo latis legibus constituta
sunt quasi pharmaca & remedia, quibus vi-
tios & sceleribus, h. e. animi morbis lethali-
bus medetur. Va ter & amplius miseris illis
fontibus, quibus hujusmodi animorum pesti-
bus periculosissime laborantibus hujusmodi
remedia à Deo & Dei vicario magistratu
constituta, in hac vitâ non admoventur!
Nimirum illi in alterâ vitâ nisi in hac serio
respuerint, aeternum contabescunt & morien-
tur. Qua profectò in re, Castricius ille (de
quo hodie supplicium sumendum, illud Discite
justitiam, omnibus elatâ quasi voce in clama-
bit) quamvis coram mundo, mortalium infe-
licissimus, Deo tamen (siquidem nos de ater-
na ipsius salute optime speramus) longè carior,
& coram angelis ejus longè felicior ac beati-
or est multis alijs perjuris, sacrilegis, adul-
teris, homicidis, parricidis, alijsq; palàm A-
theis, quibus vel notis accusatus & convictis
judicis indulgentia pepercit, vel ignoratis &
occultis latentia scelera in extremo judicio

imputanda reservantur. Et sanè infelix hic
Juvenis atrociam designavit furta, quæ nemo
nisi impudentissimè improbus elevarit, aut
morte ac supplicio digna negaverit. Statim
autem, atq; is per condemnatoriam senten-
tiam, quæ ab utroq; Senatu & Academico &
Urbico, 10. die hujus mensis Octobris, in ipsum
presentem publicata est, servus pœna factus,
nomen & dignitatem & privilegia Studioso-
rum realiter amisit; expunctum est quidem
nomen ejus ex albo terrestris hujus Academiae
in quo tamen qui manent non omnes aequè
puri sunt: minimè verò & nequaquam ex albo
Academiae cœlestis, ex libro æternæ vitæ, qui
est Christus Jesus, qui sua justitiâ veste ipsum
circumdatum in serenâ puritate & sanitate
cum sanctis angelis & electis hominibus coram
se statuet. Nempe è quo vitæ libro, quo ma-
gis antea per scelera eradi capit, tanto jam
verè resipiscens & conversus penitus per fi-
dem insculptus æternum illi adhaerebit, nun-
quam inde denuo eradendas. Jam ad vos
Studiose juvenes sermonem convertimus. Ca-
stritius, quamvis jam vestri ordinis esse de-
sierit

sterit, vestri tamen ordinis aliquando fuit.
Ejus casus & calamitate vos moveri equum
est. Cum enim homines simus, ipsa hominis
conditio & appellatio exigit, ne humani quid-
quam alienum à nobis deputemus, non eò so-
lum, ut vitam nostram varijs humanis erro-
ribus, peccatis, infirmitatibus & arumnis ob-
noxiam esse cognoscamus: verum etiam ab alijs
miseris ac infelicibus, qui vita sua clavum
non rectè gubernarunt, seq^q in atrociora de-
lictà, & per delicta in pœnas & supplicia
precipitarunt, ex humana ~~opprobria~~, qua no-
stri pars optima sensus, condoleamus. Habe-
amus in commune quod nati sumus, inquit
Seneca. Cum vel minimus digitus in homine
leditur, totum corpus illi condolet. Cum verò
putrida & emortua pars ab integro & vivo
refecatur, totum sanum corpus concutitur &
turbatur. Et hunc condolentis adfectum ip-
sa natura etiam brutis quibusdam animalibus
penitissimè implantavit, que sua speciei
animalium dolores, ejulatus, tormenta eadem
& sanguinem miserabili ululatu grunnitu,
boatu & gemitu prosequi observamus. Unde

1111

nimirum patet illum hominem omnem huma-
nitatis sensum exuisse, & infra bruta animalia
ad Diaboli naturam proximè degenerasse,
qui nullo aliena calamitatis sensu tangatur,
aut adfectu moveatur. Accidere cuivis po-
test, quod cuiquam accidit, & qui stat vide-
at ne cadat. Discite autem talibus exem-
plis, quis ille sit cuius presidio & fulcimen-
to stamus, DEVS scilicet optimus & maximus:
Et in quas calamitates illi se precipitent, qui
hunc studiorum vita & actionum suarum gu-
bernatorem & ducem excutiunt, sine cuius
numine nihil est in homine, nihil est innoxium,
& sine quo ne digitum quidem sine peccato
possumus exserere. Vitam modestam ac so-
briam agite, memores cuius rei gratiâ huc à
parentibus, tutoribus, amicis missi sitis. Fugi-
te illam Germanica juventutis pestem, ebrie-
tatem & crapulam, qua nihil pium honestum
& moderatum suadet, sed suos veluti Circe
suâ virga & poculis in porcos transmutat,
quibus licita illicita, honesta turpia, capitis
deniq; & inguinis discrimina, quod dici con-
suevit, sunt in promiscuo. Fugite vagas li-
bidines

bidines & amores nefarios, quibus qui semel
se implicari passus fuit, raro aut nunquam ad
vera virtutis & eruditionis frugem postea
pervenerit. Nempe qua impuritas Spiritum
S. & sanctos Dei angelos non aliter fugat,
atq; foedus & maleolens fumus purissimas &
castissimas apes. Fugite pestem vita ac patri-
moniorum emacitatem & luxum in vestitu
& habitu, quibus multis patritijs nobilibus
imo baronibus pares se gerunt, quibus domi-
res admodum angusta est. Ex quibus qui ef-
fectus & eventus consequantur; qui vis faci-
le estimaverit? Quis enim tibi deficiente cru-
menâ, & crescente gulâ manet exitus? Ab
omnibus deniq; qua honoratissimum vestrum
ordinem dedecent, studiosè abstinete, neq;
propter illum, in quem hodierno die exem-
plum statuetur, quidquam turbate. Aliena
enim scelera & facinora, quorum vos nun-
quam rei inventi estis, vos non magis deni-
grant, quam solem fumus aut nebula. Cer-
donum autem & infamium nebulonum voces
non magis morande, quam canum latratus
aut corvorum crocitus. Ut enim stolidissimus
B esse

esset, qui à bubone alaude & philomela can-
tum exigeret, ita non minus insanus judican-
dus, qui ab homine imperito sanum & re-
ctum de rebus iudicium, Nempe cuius voces
'Demetrius apud Senecam non magis moran-
das' dicebat quam venire redditos crepitus.
Ut enim meā nihil refert, dicebat ille, sur-
sum ne illi an deorsum sonent: ita neq; meā in-
terest, laudent ne illi me, an vituperent. No-
vimus nos per Dei gratiam ordinem no-
strum in mundo inter mortales sanctissimum
& honoratissimum esse, cui tot honesti cives,
generosi equites, barones, comites, tot illu-
strissimi Principes, tot senerrissimi Reges, &
Imperatores ultrò sua nomina dare, seq; inse-
rere non dubitarunt. Vti & hac nostra A-
cademia ante annos admodum paucos illu-
strissimis quibusdam Principibus tanquam
membris suis triumphavit. Et de quo no-
stro ordine qui minus honestè sentiat, aut
ultrò etiam illum perdere satagat, eo ipso
prodit, se mortalium esse ignavissimum & ne-
quissimum, & dignum qui ex hominum con-
sorsio longè lateq; profugatur. Deum opti-
mum

num maximum oramus, ut suam apud nos
Ecclesiam & scholam conservet, ejus nutri-
tios ac patronos defendat, ejus hostes conver-
tat aut evertat, discipulorum ac docentium
studijs benedicat, sui spiritus ductu & au-
spicio omnes & singulos gubernet, & mise-
ricordia sua vasa faciat, ut & hujus & fu-
tura vite poenas affugere possint.

B. U. P. P. Rostochij 14. Octo-
bris Anno 1611.



B 2

DECA-

DECANUS

Collegij Juridici in Academia Rostochiensis

ERNESTVS COTHMAN

JURIS DOCTOR ET PROFESSOR.



Hi facinora animis & ossibus criminorum inhaerent, & soli scelerum auctores malè audire, & pœnis justis coerceri solent, tamen quandoq; calumniæ malorum hominum accedunt, & unius calamitosi peccatoris crimen in totum ordinem, ejusq; membra sana & ladata malitiosè derivatur, & detorquetur, & nullo judicio nulloq; consilio, sed impetu & bestiali quadam veritate res aguntur, Si igitur, tam tristes calus incidant, & calamitas unius per plurimum animos & loca plurima pervadat & sinistram ex calumniatorum nequitiâ opinionem de laudatissimo aliquo ordine suscitet, merito dolemus & iram Dei agnoscimus. Stetit & vixit medicriter Academia nostra per annos penè ducentos, neq; ab isto tempore inter Scholares fur aliquis famosus & improbus est inventus. Sed accidit nuper, ut miser quidam homo ob furtum virgis casus, & ex Tubingenti Academia exclusus, studiorum, quæ feliciter ceperat, & ut in illâ ipsa Academia Baccalaureus crearetur, meruerat, perrexendorum causa primum Vitebergam irer, & inde ad nos veniret, & à Magnifico Academiae Rectore illius facinoris ignaro recipere, & in Album studiorum inscriberetur. Et initio quidem ille diligenter didicit & conciones plures ad populum habuit, atq; imprimis in lingua Hebraica tantum profecit, ut sanctam illam linguam sine punctis legeret. Verum paulò post recidit in priores Diaboli

boli laqueos, & furtum, cui affueverat, hoc loco reperit,
& ob flagitium istud in Carcerem conjectus & causa cog-
nita ad mortem condemnatus est. Atrox id erat crimen,
quod Deus scelerum vindex morte mulctari voluit, & ut
ita fieret, omnes consensimus, sed tamen ut poena suspen-
dij in gladij poenam commutaretur, & quius & humanius esse
arbitrati sumus, & ejus opinionis nostrae plures rationes
attulimus, neq; ante litem illam decusam intercedendo
quicquam tentare necessum esse putavimus. Et cum Am-
plissimum Senatum Oppidanum hoc casu ex transactio-
ne auctoritate illustrissimorum & Celsis Principum Me-
gapolensium Dominorum nostrorum clementissimorum
roborata communicatam Juris dictionem habentem ad
mitiorem illam poenam flectere non possemus, Acta ad
Clarissimos Dns: ICTOS Colonenses transmissa sunt. Hi
responderunt poenam suspendij velut ordinariam non nisi
à summo Principe mutari posse, attamen hoc temperamen-
tum pium & honestum expressim ac dilertè adscripserunt,
nimirum, propter hominis illius Juvenis & infortunati in-
fortunatum parentem eumq; Senem, & in illius commise-
rationem & consolationem, tum etiam in Concilij nostri
omniumq; Laudatarum Academiarum & generalium Stu-
diorum gratiosum honorem poenam laquei in gladij poe-
nam communi consensu veri & mutari posse, idq; se pru-
dentiae & discretioni utriusq; tam Academici quam Muni-
cipalis Magistratus relictum velle. Pia admodum isthaec
praecleara & honesta, ac rationibus ab Academia nostra
conscriptis congrua, deniq; humana sententia, quae uti no-
bis commiserationi & humanitati dedimus jam ante placue-
rat, sic ad illam magis obtinendam Reverendum Concili-
um, ne quid in ipso desideraretur, Senatum Oppidanum
in loco Concilij praesentem statim amice compellavit, & ad
mitiorem poenam dicendam persuadere voluit, Et hanc

B 3


nostram


nostram Intercessionem nobis laudi ducimus, sed & in eo
iure & honeste nos fecisse non ambigimus, cum poenae
Ordinarie, quae iure stricto mutari non possunt, ex notis-
sima totius Germaniae, imò totius Orbis consuetudine
temperamentum benignius & humanius admittant. Neque
ipse Senatus Municipalis id negari possit, nisi sua & de-
cessorum suorum facta & exempla illam in rem plura injusti-
ciae & iniquitatis accusare velit. Cur verò Magistratus ur-
bicus ad intercessionem & in gratiam unius vel alterius
de infima vel media plebe hominis plures fures hoc
fure longè improbiore & deteriore ad patibulum damna-
tos, gladio feriri iusserit, sed hunc calamitosum hominem
humanitate illà benignitate & commiseratione indignum
iudicet, viderit & dixerit ille, qui cuncta cernit. Nos certè,
qui ordinarij magistratus titulum iustissimum habemus &
possidemus, laudabile & honestum fuisse arbitramur, si in
commiserationem Senis parentis, ejusq; Theologi sancti
& docti, in gratiam & honorem Reverendi Concilij, Om-
niumq; totius Orbis Academiarum & generalium Stu-
diorum, ad Amplissimi Collegij Juridici Colonienfis pru-
dentissimam admonitionem, deniq; ut alia mittamus, ad
nostram amicam intercessionem non seram istam sed satis
maturam & justo tempore ac loco interpositam, cum
~~Intercessio~~ non nisi latae rigidae sententiae adhiberi possit,
& neq; Deus, neq; Ecclesia neq; vera ejus membra fontes
misericordiae & condolentiae ullo tempore claudant, tur-
pis illa suspendij poena in honestiorem gladij poenam
commutata fuisset. Sed quia Magistratus adscriptiij rigor
prevaluit, & neq; humanitas, neq; prudentia, neq; discretio
illa, quam Jurisconsulti Colonenses inveniunt, locum in-
venit, nos tandem nolentes volentes in sententiam illam
duriorem & ignominiosam decurrere oportuit, & omni-
bus ac singulis, qui aliquid judicare possent, liberum &
huma-

humanum de hoc negotio arbitrium relinquimus, & interim Studiosos ornatissimos, monemus & cohortamur, ne hoc tristi exemplo offendantur, neve ad illicita se rapiantur, sed potius Diaboli Leonis illius infernalis, rugientis, ac saevientis mille artes nocendi considerent, & insultus Sathanæ p̄ijs precibus, & seriâ divini nominis invocatione à se depellant, & sanctos Angelos sibi cuitodes à Deo petant & adiscant, & nos quoq; arduas nostras preces & gemitus crebriores adjungemus, neq; dubitemus, quin istam flagelli Dei asperitatem misericordiae mirabilis celeritas subsecutura sit. Quia vero die hodiernâ, quam Disputationi publicæ instituendæ & habendæ nos constituisse publicè notum erat, præter morem usitatum de criminoso illo supplicium sumetur, & tum multitudinis concursu, vociferationibus & clamoribus, quo minus placidam illam concertationem placidè instituamus & finiamus, sine dubio impediemur, negotium id in diem crastinum differre rectius esse putavimus, & iterum atq; iterum rogamus omnes, qui in studijs humanitatis & literarum versantur, ut die illâ crastinâ in honorem Academiae, & in gratiam Uni: Candidati frequentes conveniant, & nobiscum amicè & eruditè conferant, deniq; Academiam nostram ejusq; patronos illustrissimos & hanc urbem, totamq; provinciam veris gemitibus & ardentibus votis

Filio Dei Mediatori Salvatori & Intercessori nostro commendent. P. P. Rostochj 14.

Octobr. Anno 1611.







humanum de hoc negotio arbitrium reli-
rim Studioſos ornatiffimos, monemus &
hoc trilli exemplo offendantur, neve a-
patiantur, ſed potius Diaboli Leonis illi-
entis, ac ſævientis mille artes nocendi co-
ſultus Sathanæ pijs precibus, & ſeriâ divi-
catione à ſe depellant, & ſanctos Angelo
Deo petant & adſceant, & nos quoq;
precaſiones & gemitus crebriores adjung-
tamus, quin iſtam flagelli Dei aſperitate
mirabilis celeritas ſubtecutura ſit. Quia ve-
quam Diſputationi publicæ inſtituendæ
conſtituiſſe publicè notam erat, præter
de criminoſo illo ſupplicium ſumetur, &
nis concurſu, vociferationibus & clamor
placidam illam concertationem placidè
niamus, ſine dubio impediemur, negotiu-
ſtinum diſſerre rectius eſſe paravimus, &
rum rogamus omnes, qui in ſtudijs hun-
rum verſantur, ut die illâ cratiâ in hon-
& in gratiam Dni: Candidati frequente-
nobifeum amicè & eruditè conferant, de
noſtram ejuſq; patronos illuſtriſſimos &
tamq; provinciam veris gemitibus &
Filio Dei Mediatori Salvatori & In-
aro commendent. P. P. Roſto
Octobr. Anno 1611.

Handwritten initials or signature.

